



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

II. De medio cognitionis Angelicæ, seu speciebus intelligibilibus, an nimiru[m], vnde, quas & quales species intelligibiles habeant Angeli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

nimirum & possibilis. Ita Sanctus Thomas hic quæstione 54. articulo 4. Caietanus & Thomistæ ibidem, Gregorius de Valentia hic quæst. 5. pun. 2. Molina cit. quæst. 54. art. 4. Vasquez disp. 199. cap. 2. Suarez hic lib. 2. cap. 1. num. 13. & Albertinus tom. 1. princip. 1. coroll. 7. numer. 19. etsi contrarium non pauci veteres Scholastici docuerint, in quibus Albertus lib. 4. de coævis part. 1. q. 5. art. 11. & 12. & in sum. part. 2. tractat. 4. q. 14. memb. 3. art. 2. Richardus in 2. dist. 3. art. 6. quæst. 2. Scotus distinct. 3. quæst. ult. Bassolis q. 4. art. 3. & significant Alensis 2. part. q. 22. mem. 3. & quoad modum loquendi sequitur etiam Bonaventura in 2. distinct. 3. part. 2. artic. 2. quæst. 1. qui tamen non iisdem rationibus & fundamentis rem explicant. Albertus enim intellectum agentem Angelis tribuit, non ad producendas, sed ad illuminandas species, etiam concreatas & innatas. Sed frustra & contra communem Philosophiam. Scotus, Richardus, Bassolis, intellectum agentem Angelis tribuunt ad producendas species: sed supponunt, Angelos sumere species à rebus materialibus; quod falsum esse patebit. dub. sequent. Alensis verò ea ratione intellectum agentem Angelis tribuit, quia educit potentiam intellectus possibilis in actum per acceptionem quandam specierum; quod aut idem esse debet cum præcedenti fundamento, aut si quid aliud est, sane non magis est intelligibile & probabile.

13 Quare etsi hæc quæstio aliquo modo sit de nomine, vt notauit etiam Sanctus Thomas ibidem, proprie tamen, & iuxta consuetam ac receptam ex Aristotele Philosophiam, loquendo de intellectu agente & possibili, probatur assertio. Quia intellectus agens, & possibilis in homine, non alia ratione distinguuntur, nisi quia ille à phantasmatibus abstrahit & producit species, & sic quasi obiectiue aut efficienter illuminat intellectum possibilem: possibilis vero ab agente intellectu recipit in se species, ijsque receptis producit & recipit intellectionem: id vero non conuenit Angelis, qui non accipiunt species à rebus materialibus siue obiecto; sed habent eas naturaliter congenitas, vt dicitur dub. sequent. Addit etiam Sanctus Thomas loc. cit. ad intellectum possibilem requiri, vt aliquando sit in pura potentia ad intelligendum, cum tamen Angelus nunquam ab omni plane intellectione cesset, vt dicitur dub. 8.

14 Quod si quis dicat, ad distinctionem intellectus agentis, & possibilis in Angelis sufficere, quod vna & eadem potentia simul & producat intellectionem, & recipiat, is quidem de nomine tricabitur, sed simul abutetur nominibus: hac enim ratione etiam in quolibet sensu, & quauis potentia eliciente operationes immanentes, nomen & distinctio agentis & possibilis, seu patientis locum habebit; quod est absurdum.

15 Assertio IV. In Angelis non est alia cognitio, quam intellectiua; ac proinde nec alia potentia (immanenter operatiua) quam voluntas & intellectus, quo etiam spectat memoria. Ita Sanctus Thomas quæst. 54. art. 5. Caietanus, & Thomistæ

ibidem, & communis Doctorum in 2. d. 3. quos sequuntur recentiores citati. Ratio est. Quia alia potentia omnes sunt corporeæ. Quare etiam Commentator 12. Metaphys. dixit, substantias se paratas diuidi in intellectum & voluntatem. Memoria autem aut est ipse intellectus, prout retinet species, & suo arbitrato per earum quasi usum, intelligit, ac in mentem, siue actualement considerationem reuocat præterita; aut si est potentia intellectualis diuersa, subseruit tamen intellectui & intellectioni; iuxta varias de memoria intellectiua sententias Philosophorum. An autem nihilominus in Angelis detur potentia operatiua ad extra, distincta ab intellectu & voluntate, suo loco q. 5. dicitur: idcirco enim nunc, vt ab hac controversia abstraheretur, addidi in assertione limitationem, potentia immanenter operatiua; quæ est ex mente S. Thomæ, vt ibidem dicitur, licet hoc loco non fuerit ab eo addita. Vtrum vero intellectus Angelicus specie differat ab humano, dicitur quæst. sequente.

D V B I U M II.

De medio Cognitionis Angelicæ, seu speciebus intelligibilibus: an nimirum, vnde, quot, & quales species intelligibiles habeant Angeli.

S. Thom. 1. part. q. 55. aa. 3.

1 **R**Estè post declaratam quasi substantiam ipsius intellectus, & intellectionis Angelicæ, S. Thomas de comuni medio eiusdem cognitionis agit; quæ sunt species intelligibiles, de quibus cum eodem S. Thoma sequentes assertiones statuimus.

2 **A**ssertio I. Angelus non omnia cognoscit immediate per suam substantiam, sed quædam per species intelligibiles essentia superadditas. Ita cum S. Thoma cit. quæst. 55. art. 1. Thomistæ omnes, cæteri que Theologi communiter, speciem Alensis 2. part. quæst. 24. memb. 2. & 3. Albertus 2. part. sum. tract. 4. q. 19. art. 11. Bonaventura in 2. dist. 3. part. 2. artic. 2. quæst. 1. Richardus a. 6. q. 1. Scotus q. 10. Egidius eadem dist. part. 2. q. 2. a. 1. Heruzus q. 4. a. 2. & 3. Maior q. 6. & 7. Argentina q. 2. a. 4. Capreolus q. 2. a. 1. Marsilius in 2. q. 7. a. 1. Henricus quodlib. 1. q. 12. & quodlib. 4. q. 7. Ferrariensis 2. cont. gent. c. 96. & ex recentioribus Molina cit. q. 55. a. 1. Gregorius de Valentia q. 6. punct. 1. Suarez Metaph. disp. 35. sect. 4. & hic lib. 2. cap. 3. Albertinus tom. 1. Princip. 7. coroll. 8. punct. 1.

3 **Q**uanquam contrarium docent Durandus in 2. dist. 3. q. 6. Gabriel q. 2. a. 2. & 3. Ockam in 2. q. 15. & 16. Bassolis in 2. dist. 3. quæst. 3. & Ariminensis in 2. dist. 7. q. 5. a. 1. alique Nominales, & ferè Henricus quodlib. 5. q. 14. qui negant species intelligibiles in Angelis, & ferè etiam in animabus humanis, rati solam potentiam cum obiecto, vel effectiue, vel alio modo concurrente, sufficere ad intellectionem. In quam sententiam,

quoad

quoad Angelos, magis etiam inclinatur Valquez disp. 200. cap. 3. ubi ait: *rationes quidem efficaces suppetere, ad probandum, humanum intellectum instrui speciebus ad intelligendum; at vix certe ullam esse rationem, quæ id de intellectu Angelico eodem modo aperte conuincat.* Et disp. 201. num. 6. ait, *facilius ad intelligendum videri, Angelum speciebus non indigere, ut intelligat, sed sola sua virtute posse intelligere aliquid, eo ipso, quod intra limites sui obiecti continetur.*

Ratio assertionis ex S. Thoma loc. citat. est. Quia ipsa essentia Angeli, cum finita sit, nec continet omnia intelligibilia in se formaliter vel eminenter, sicut Deus, non potest omnia per se ipsum representare: Requirit ergo species. Accedit quod cognitio Angelica vera & reali dependentia pendet ab obiectis, seu concursu obiectiuo iuxta receptum axioma Philosophicum, *Ex obiecto & potentia oritur notitia*, quod traditur etiam ab Augustino lib. de Trinit. c. 12. ubi ait: *Ab utroque enim notitia paritur, cognoscens & cognito*: Ergo vel obiectum ipsum per se, vel aliquid aliud ex parte obiecti, eiusque vim supplens, concurrat causaliter ad cognitionem Angeli: obiectum vero ipsum, saltem quando vel distans, vel materiale est, id per se non potest præstare, nec ipsa substantia Angeli, quia nec est naturalis similitudo rerum omnium quæ intelliguntur; nec continet formaliter vel eminenter eiusmodi perfectiones obiectorum materialium, alias enim etiam producere illa posset; Ergo concursus obiecti per species debet suppleri. His accedunt Aristoteles lib. 3. de anima c. 1. vel 4. ubi laudat Platonem, quod diceret, *intellectum esse locum formarum*. Et Proclus lib. de causis, proposit. 10. ait: *Intelligentias plenas esse formas rerum*; hoc est speciebus intelligibilibus. Citat etiam S. Thomas cit. a. 1. argum. sed contra. Dionysium cap. 4. de diuin. nom. *quod Angeli illuminentur rationibus rerum*. Verba, ad quæ respexisse videtur S. Thomas, secundum Peronij versionem, sunt ista. *Eorum quæ sunt rationes discunt diuina sibi accommodata illustratione*. Eodemque referri possunt illa verba inferius subsequencia, quæ ad Deum refert: *Quæque in summo bono sunt excellentis formarum fabricationis, in ijs quæ formam non habent*. Et cap. 5. sub fin. docet exemplaria & rationes rerum vnitè & simplicissimè esse in diuina mente, & inde inferioribus communicari. Fateor tamen, non satis constare, an hæc & similia ex mente Dionysij ad species intelligibiles pertineant. Rationes verò in contrarium solum petuntur ex difficultate explicandi siue modum acquisitionis, siue usum specierum: de qua re inferius agendum.

Assertio II. Angelus non accipit vllas species ab obiectis; sed habet naturaliter sibi congenitas omnes illas, quæ naturali eius intellectui deseruiunt. Ita S. Thomas hic cit. q. 55. a. 2. & 2. cont. gent. cap. 96. & cum eo Ferrariensis, Caietanus, & Thomistæ omnes; item Albertus 2. part. sum. tract. 4. quæst. 14. memb. 3. articulo 2. & libro de quatuor coruis 1. part. quæstione 5. articulo 12. Bonauentura, Ægidius, Heræus, Argentina, locis citatis assert. præced. quos sequuntur Gregorius de Valentia q. 6. pun. 2. Molina q. 55.

a. 2. Valquez disp. 201. Suarez loc. cit. & hic lib. 2. cap. 8. & Albertinus loco citato.

Contrarium docent Scotus in 2. dist. 3. q. 11. Richardus art. 6. q. 2. Maior q. 7. Bassolis q. 4. a. 2. & 3. Marsilius in 2. q. 7. art. 1. & Alensis in 2. part. q. 24. memb. 2. & 3. quorum iste, vniuersim omnium rerum, cæteri vero rerum saltem corruptibilem & singularium species Angelis primum post creationem ab obiectis aduenire docent; admittentes interim, rerum incorruptibilem, & vniuersalium species esse Angelo ab initio creationis suæ congenitas.

Probatur autem assertio. Tum quia obiecta materialia non possunt agere in substantiam spirituales; immaterialia vero extra se producere, nihil possunt, nisi motum, motusque naturale instrumentum. Tum quia sæpe ab Angelis intelliguntur obiecta prorsus distantia, quæ nec per tantum spatium transmittere species possunt; nec agere in distans. Denique ad perfectionem vniuersi spectat, esse substantias quasdam creatas, quæ vi ipsius conditionis suæ, connaturaliter innatum habeant omne principium, ad intelligendum requisitum; adeoque & species sibi congenitas. Argumenta vero contrariæ partis, quæ petuntur ex modo cognoscendi varia obiecta, & augmento seu noua acquisitione scientiæ Angelicæ respectu quorundam obiectorum, inferius duobus sequentibus diluentur.

Assertio III. Probabilis tamen videtur, species non fluere effectiue ab essentia Angelorum, sed esse ac dici ipsis connaturales, seu etiam velut naturales proprietates eisdem congenitas, quia in ipsa creatione sunt congenitæ ipsi à Deo, potentia eorum passiva id exigente, velut connaturale debitum; libere tamen à DEO persolendum, etiam supposita tam ipsorum Angelorum, quam cæterarum rerum existentia seu futuritione. Ita Ferrariensis 2. cont. gent. cap. 98. Molina q. 55. art. 2. disp. 2. Zumel eodem art. 2. Albertinus tom. 1. princip. 1. coroll. 8. num. 2. & prolixè Suarez hic lib. 2. cap. 7. à num. 1. ubi citat etiam Pesantium, Danielem Malonium, & Radum. Et fauet S. Thomas cit. q. 55. a. 2. in corp. & ad 1. & q. 56. a. 2. ad 4. & in 3. part. q. 9. art. 3. et si contrarium doceant Capreolus in 2. dist. 3. q. 2. a. 3. Caietanus in 1. 2. q. 50. a. 6. & q. 51. a. 1. & in 3. part. q. 9. a. 3. Medina ibidem, Bannes hic q. 55. a. 2. & Gregorius de Valentia quæst. 6. pun. 1. qui species Angelorum tanquam proprietates strictè acceptas, ab eorum essentia effectiue fluere dixerunt.

Sed probatur assertio. Tum quia si fluerent ab essentia, causa nulla esset, cur ipsa essentia per se non sufficeret ad intellectionem per modum representantis; quandoquidem tunc eminenter contineret perfectionem imaginis representatiuæ, neque vel ob distantiam, vel materialitatem vlla posset ratio afferri, cur ipsa per se tunc non immediate sufficeret ad representationem. Tum quia Angeli non habent species proprias omnium rerum possibilem, sed solum rerum quandoque existentium, ut inferius dicetur suis locis: Ergo species Angelicæ in particulari,

pendent à libero decreto Dei idque supponunt, quo nimirum Dens has potius, non alias species, aut indiuidua rerum voluit creare; quod si Deus, uti potuisset, alias res ac indiuidua rerum creare, voluisset, Angeli non has, quas nunc habent, sed alias species fuissent habituri: Ergo non est verisimile, essentiam Angelorum esse ex se determinatam ad harum potius, quam aliarum rerum species per emanationem producendas; nec adeo etiam species emanare ab ipsorum essentia; alias enim semper ac eodem modo, etiam supposito alio quocunque libero Dei decreto, de producendis rebus alijs, emanarent.

10 Obijcitur primo, hac ratione species non posse dici Angelis connaturales, aut proprietates eorundem. Respondeo negando sequelam; non solum quia secundum S. Thomam, & multos alios, motus cælorum est ipsis naturalis, cum tamen solum passiuè ab ipsis dependeat; sed etiam quia omnium iudicio forma & quantitas materiæ dicitur naturalis, & hæc quidem etiam quasi proprietas naturalis, licet materia passiuè solum ad eandem concurrat. Sufficit ergo ad proprietatem seu passionem naturalem generatam, ut subiectum capacitatem & appetitum naturalem ad eam habeat, secundum quem ei naturaliter quodammodo debita sit talis forma.

11 Obijcitur secundo; Omni potentia passiuè naturali respondet potentia actiuè naturalis: hoc autem in proposito non fieret. Respondeo negando minorem, quia etsi hæc naturalis potentia actiuè non sit intrinseca in ipso Angelo, est tamen in ipso Deo, qui per modum causæ naturalis hoc quasi debitum naturale, Angelo persoluit; ad eum modum, quo etiam Deus in dispositum corpus humanum infundit animam, & cæteris causis naturalibus agentibus per modum causæ vniuersalis debitum concursum exhibet.

12 Assertio IV. Angeli nec omnia per vnam speciem intelligunt; nec singula per diuersas, sed habent species plures, quarum singula distinctè representant plura; quæque eos sunt in quouis Angelo in representando vniuersaliores, quo perfectioris naturæ est Angelus. Ita S. Thomas q. 55. a. 3. & q. 8. de verit. artic. 10. & in quæst. disp. de anima art. 7. & cum eo Capreolus loc. citat. Caietanus, & Thomistæ recentiores eodem art. 3. item Molina ibidem. Gregorius de Valentia q. 6. pun. 3. Albertinus loc. cit. Suarez Metaph. loc. cit. & hic lib. 2. cap. 14. 15. 16.

13 Probatur assertio sigillatim secundum omnes partes, referendo simul etiam eos, qui particulatim vnicuique parti eiusdem vel accedunt, vel aduersantur.

Etenim prima pars est communis etiam cæterorum Scholasticorum, quos pro assert. 1. retuli: contra Henricum quodlib. 5. q. 14. qui cum concedat, habitum cognoscitiuum Angeli vocari posse speciem, dicit, esse vnicum tantum. Sed & Caietanus cit. a. 3. etsi concedat vniuersim plures species in Angelis, simul tamen putat, saltem supremum Angelum per vnicam tantum speciem omnia intelligere, quæ naturaliter intelligit; quod non videtur satis consentaneum S. Thomæ, nec

est necessarium, & forte nec possibile, ut inferius dicitur. Probatur vero ea pars. Quia quo ratio seu medium cognoscendi magis est vnum & simplex, eo cognoscens ipse perfectior est; & è contrario, quo ratio & medium cognoscendi cæteris paribus magis multiplicatur, eo cognoscens est imperfectior: propterea enim sensus externi, eorumque cognoscendi media, magis quam sensus internus, & huius media siue species, cæteris paribus, & respectu eorundem obiectorum, magis quam intellectus species multiplicatur; & inter ipsos homines, quo quisque perfectioris est intelligentiæ, eo plura per vnum medium siue principium intelligit; Vnde etiam sumitur principium illud, Ea quæ inferioribus insunt diuisa; in superioribus reperiri vnité: Ergo per vnum tantum simplex medium cognoscere omnia, proprium est perfectissimi cognoscens, aliorum vero per plura. Quæ videtur ratio S. Thomæ citat. artic. 3. & procul dubio procedit etiam secundum absolutam DE I potentiam, respectu totius infinitæ multitudinis omnium cognoscibilem, quæ à Deo cognoscuntur. Accedit etiam alia ratio. Quia species intelligibilis, ut colligitur ex specie visibili (in qua hoc meo iudicio ad sensum patet) est formalis quædam & naturalis similitudo rei in representando; atqui vix fieri posse videtur, ut vna & eadem species sit rerum adeo diuersarum qualis qualis similitudo; ut magis inferius dicitur: Ergo, &c.

Secundam partem, Angelos non cognoscere singula per diuersas species, præter citatos, tradunt etiam Albertus lib. de quatuor coelis 1. part. quæst. 5. articulo 12. Ægidius in 2. distinct. 3. part. 2. quæstione 2. articulo 2. dub. 3. & 4. Argentina quæst. 2. articulo 4. Capreolus quæst. 2. articulo 1. & 3. Ferrariensis 2. cont. gent. cap. 9. quos sequitur etiam Vasquez disputat. 202. cap. 2. & fauent Bonauentura dist. 3. part. 2. articulo 2. quæst. 1. & Henricus quodlib. 5. q. 14. etsi contrarium sentiant Scotus in 2. distinct. 3. quæst. 10. Richardus articulo 6. quæst. 2. Bassolis qu. 3. & Maior qu. 6. qui docent, singularum naturarum, & singulorum indiuiduorum, singulas species in Angelo esse. Sed probatur ea pars assertionis ex dictis. Quia quo intelligens est perfectior, eo principium ipsius intelligendi est simplicius, ut ita magis ad Dei perfectionem accedat, qui ut dictum, omnia per vnam quasi speciem cognoscit.

Nec vero obstat, quicquam, quo minus vna species altioris ordinis, plura distinctè representet quamuis diuersa: cum vna visio sit plurium obiectorum simul, & vna conceptus seu notitia mentis possit esse plurium simul veritatum, præsertim in Angelis; & vna visio beatifica representet DEVM infinite perfectum, & quidem ex veriori etiam, vna cum pluribus rebus creatis, ut suo loco dictum: cum tamen & visio, & intellectio, sit formalis & expressa quædam similitudo rei. Et vniuersam potentiam intelligendi eo plura simul & per eandem notitiam intelligit, quo perfectior est, ut pluribus declarat Valentia, Vasquez, Suarez locis citatis.

16

Tertia pars, quod species sint eo vniuersaliores, quo perfectior est Angelus, est contra Scotum, Basileum, Richardum locis citatis, qui cum existimant, Angelos cognoscere singula per diuersas species, absolute docent superiores Angelos non intelligere per pauciores species; item ex parte contra Heruatum, Ferrariensem, & fere, Egidium locis citatis, dum sentiunt, Angelos eiusdem ordinis, vel vt Heruatus dicit, eiusdem generis proximi, habere aequales species, etiam si specie inter se differant. De qua re etiam Vasquez disput. 203. cap. 4. ita censet, *vt nec probabilis quidem coniectura in illam partem quequam affirmari posse existimet.* Sed ratio sancti Thomæ citat. a. 3. non est contemnenda, quam recte tuentur Valentia, Albertinus, Suarez locis citatis. Quia perfectius est, maioremque cum modo diuino intelligendi similitudinem habet, intelligere plura per vnâ speciem, quam per plures cæteris paribus: Ergo quo naturalis perfectio Angeli, saltem specifica, maior est, eò etiam cæteris paribus, & quoad naturam rerum patitur, perfectiores adeoque vniuersaliores habet species.

Accedit auctoritas Dyonyssij hoc ipsum indicantis cap. 12. de diuin. nom. vbi generatim ait: *Sanctos vero, & Reges, dominosque ac DEOS, scripta diuina appellantur gradus & ordines, qui in singulis primis obtinent, quorum opera secundi sue inferiores muneris, quæ a Deo proficiuntur, accipientes, tributionis diuisionis, que illorum simplicitatem in suis distinctionibus multiplicat & augent, earumque varietates primi ordinis vtiliter & diuine ad unitatem suam contrahunt, &c.* Qua generali doctrina docemur etiam, Angelos superiores scientiam vniuersaliorum & celsiorem participare. Quod clarius docet idem Dyonyssius cap. 12. cœl. hierarch. vbi ait: *Sanctorum Cherubim ordo sapientia, scientiaque altioris est participes. Ordines autem earum essentialium, quæ eis subiectæ sunt, participes quidem etiam ipsi sunt & sapientia & scientia; sed tamen eius, quæ pars est ad illos, & quæ inferiorem locum tenet. Vbi non solum docet scientiam inferiorum Angelorum esse, de paucioribus obiectis, sed etiam inferioris ordinis.*

Quomodo vero hæc multiplicationis proportio in Angelis particulatim se habeat, melius est, nostram in eâ re fateri ignorantiam, quam pluribus inquirere. Videri possunt, Egidius & Suarez locis citatis: cuius illud cap. 16. numero 7. mihi probatur, pauciora illa vel plura non intelligenda de solis speciebus; sed etiam de indiuiduis. Quod autem numero 9. addit, omnes Angelos saltem habere tot species, quot sunt essentia specificæ rerum, quas intelligunt, mihi non probatur, & ipse etiam numero 10. in dubio ponit.

Sed obiecit Scotus primo. Si datur in Angelis vna species representans naturam ipsam, & indiuidua illius, aut è rebus naturalibus vnâ speciem aliquam superiorem, cum alijs inferioribus, tunc sequitur, vna specie representari posse infinita; quia indiuidua eiusdem speciei possunt esse, & quedam etiam

re ipsa sunt infinita. syncategorematicæ, puta infinitæ cogitationes etiam naturales vniuscuiusque Angeli, vel animæ, &c. Species etiam possibiles rerum sub qualibet specie superiori determinata, deorsum descendendo, sunt infinitæ syncategorematicæ: Sed consequens est falsum: quia cum in qualibet specie intelligibili, sit aliquid perfectionis, vnâ aliquam speciem, vel vnâ aliquod indiuiduum representare, maioris erit perfectionis, plura; ac proinde simpliciter infinitæ perfectionis sit necesse est, posse infinita representare.

Respondeo cum Vasquez citat. disputatione 102. cap. 2. quod ad indiuidua attinet, concedendo sequelam; & negando minorem. Ad probationem responderetur, calculationem illam de infinito augmento procedere; quoties augmentum fit vniuoce in eadem formâ secundum intensionem vel extensionem quantitatis: non autem quando augmentum fit in perfectione & natura diuersæ rationis; tunc enim solum sequitur, speciem illam debere esse altioris rationis & perfectionis specificæ; quæ quidem ea ratione dici poterit infinita secundum quid, quia eminenter continet infinita; non autem simpliciter: alioqui enim pari ratione colligeretur, etiam visionem DEI in beatis simpliciter esse infinitam.

Quod vero ad species rerum attinet, negatur sequela; tum quia fortè non sunt infinitæ species rerum possibiles, deorsum descendendo; tum quia non est necesse vt species intelligibilis representans aliquam naturam superiorem, representet omnes etiam inferiores; sicut in nobis species hominis non representat speciem leonis, vt bene etiam Vasquez citat. disp. 102. cap. 2. Qui tamen addit, etiam si species infinitæ rerum vnica specie represententur; absurdum tamen, quod Scotus inde deducebat, non magis inde consequens esse, quam de indiuiduis dictum.

Obijcitur secundo. Eadem ratione consequitur, vna specie ab Angelo cognosci posse omnia, quæcunque naturaliter per speciem intelligit: Si enim quo perfectior est Angelus, eo plura per eandem speciem cognoscit; nec tamen ea quæ ab Angelis naturaliter cognoscuntur, aut cognosci possunt, sunt infinita, nisi secundum rationem solam indiuiduam, quæ per se non multiplicat species, sequitur aperte, saltem ascendendo in perfectione Angelica (quod fieri potest in infinitum syncategorematicæ) tandem deueniri posse ad aliquem Angelum tantæ perfectionis, qui vt alios inferiores omnes perfectione intelligendi superet, non nisi per vnâ speciem omnia cognoscat: id vero est absurdum: tum quia hoc ipso talis Angelus non poterit habere se perfectiorem & superiorem, cum perfectio intelligendi non possit ulterius crescere, quam vt per vnâ speciem omnia cognoscantur: siquidem omnia per essentiam cognosci à creatura, impossibile iudicat S. Thomas cit. a. 3. quanquã etiam si huc ulterius ascendatur, hic tamen saltè necessario con-

quiescendum

quiescendum est, manente interim eadem, vi argumenti. Tum quia vna species debet habere vnam rationem adæquatam obiecti; qualis ab omnibus simul creatis obiectis abstrahi non potest. Tum quia si possibilis est Angelus tam perfectus, non est ratio, cur negetur reipsa talis existere.

20 Respondetur primò, cum Caietano, etiam si concedamus, deueniri posse ad Angelum, qui omnia cognoscat per vnam speciem, nunquam tamen ideo deueniri posse ad aliquem, qui vel per solam essentiam intelligat omnia: vel qui non intelligat per pauciores species omnia, quæ intelligit, quam quilibet inferior Angelus. Quia hoc ipso, quod in illo progressu conderetur superior Angelus, accederet inferiori cui libet noua species eiusdem Angeli superioris; qua proinde inferior excederet numerum specierum in superiori; vt qui seipsum non per speciem, sed per suam essentiam intelligit. Quæ responsio locum habet, etiam si in infinitum fieret progressio in superioribus Angelis creandis. Ad qualem ferè etiam modum respondet Suarez cit. lib. 2. cap. 16. num. 9. etsi contingere possit, vt aliqui Angeli inæquales in perfectione cognoscant omnia, quæ sunt, per æqualem numerum specierum, nihilominus semper Angelum superiorem cognoscere, per vniuersaliores species, per extensionem ad representationem plurium rerum seu indiuiduorum possibilium: neque doctrinam de paucioribus speciebus S. Thomæ intelligendam, nisi cæteris paribus, ex parte rerum representatarum.

21 Respondeo secundo cum Gregorio de Valentia cit. q. 6. punct. 3. negando sequelam; quia doctrina illa S. Thomæ, quod perfectiores Angeli cognoscant per species pauciores, intelligenda est vel de facto tantum, vel etiam de absoluta Dei potentia, sed eousque tantum, quousque in diminuendo specierum numero, respectu tantæ varietatis, & multitudinis obiectorum, perueniri potest: at vero vt vnica species sit naturalis similitudo tantæ varietatis & diuersitatis rerum omnium, quæ nunc ab Angelis naturaliter cognoscuntur; equidem existimo impossibile: etsi cum Caietano contrarium sentiat Suarez hic cap. 16. num. 15. Poterit tamen nihilominus crescere perfectio intelligendi Angelorum in infinitum syncategorematicè, non diminutione numeri specierum; sed tum claritate cognitionis eorundem obiectorum, tum multitudine obiectorum, cognitorum. Neque vero ideo necessarium est vt vna quælibet species habeat vnum obiectum adæquatam, secundum vnam rationem vniuocam; satis est, si in vnam aliquam rationem analogicè communem conueniant, vt recte cum Capreolo cit. art. 3. Ferratiensi cit. cap. 98. notauit Vasquez disp. 202. num. 8.

22 Dices. Vnde ergo constat, reipsa nunc Angelos perfectiores semper per pauciores species eadem obiecta cognoscere; si id absolute ac vniuersim secundum totam Angelorum multitudinem possibilem; non est necessarium, nec possibile. Respondeo hoc nihilominus recte probari non solum autoritate Dionysij citata, sed etiam ra-

tionem S. Thomæ, facta tamen hac tacita suppositione, quod varietate & multitudine Angelorum nondum fuerit eo peruentum, vt respectu obiectorum, quæ per Angelos modo cognoscuntur, non potuerit ulterius diminui numerus specierum, quod ad decorem & maiorem varietatem vniuersi aliquo modo pertinere videtur: eaque de causa supra in probatione tertiz partis dixi, quoad narrationem rerum patitur.

23 Obijcitur tertio. Quisque Angelus inferior per vnam aliquam speciem distinctè cognoscit speciem etiam vniuersalissimam supremi Angeli: Ergo etiam omnia obiecta, quæ per eandem speciem vniuersalissimam representantur, ac proinde species inferioris Angeli non erit minus vniuersalis in representando, quam supremi.

24 Respondeo negando primam consequentiam: quia ad distinctè cognoscendam aliquam potentiam, vel habitum, seu actum, non est necesse distinctè cognoscere omnia eius obiecta, ad quæ terminatur, huc quæ transcendentaliter respicit, saltem per vnam & eandem speciem: sed sufficit intrinsecam & essentialem eius rationem habere perspectam; si modo saltem interim obiecta, quæ essentialiter respicit, per aliam vel alias species simul distinctè cognoscantur, vt in proposito accidit. Omitto, quod scientia diuina à beatis distinctè vtrique videtur, nec tamen interim omnia illius obiecta distinctè villo modo cognoscuntur, vt suo loco dictum.

25 Assertio V Angeli non omnia quæ cognoscunt etiam naturaliter, per species cognoscunt. Ita S. Thomas q. 56. a. 1. & communis Theologorum, & patet ex dub. sequenti, vnde constat, Angelum per species ab initio infusas cognoscere omnia, præter Deum & seipsum, suasque adeo operationes, vt rectè etiam notauit Suarez Metaph. disp. 35. sect. 4. An vero præter species naturaliter & à principio congenitas Angelo, dentur etiam ei progressu temporis aliz, ad certam quædam obiecta cognoscenda, pendet ex particulari explicatione singulorum obiectorum, de quibus dubijs sequentibus agendum est.

D V B I V M III.

De obiecto cognitionis Angelicæ naturalis, respectu rerum immaterialium: an nimirum, & quomodo Angelus naturaliter cognoscat seipsum, aliosque Angelos, & Deum.

S. Thomas 2. p. q. 55. aa. 3.
Explicato medio communi Angelicæ cognitionis, optima ratione sanctus Thomas sigillatim obiecta eiusdem cognitionis explicare aggreditur. Ea autem varijs sunt generis. Quædam enim naturalia sunt, alia supernaturalia. Illa rursum aut immaterialia sunt; vt est Deus, Angelus ipse cognoscens, Angeli alij; aut materialia, tam vniuersalia, quam singularia; præterita, futura, præterita; de quibus sigillatim agendum, initium cum